

ceptionem, ac denique, cum explorata erant omnia, sententiam ferebat, cui clerici, qui iudicium illud egerant, parere cogebantur. Quid aliud agebat iudex laicus in causis, quæ ad ejus tribunal deferbantur? Fateor, hæc iudicia, quæ ab ecclesiasticis fiebant, cursum, atque exitum habuisse celeriorum, quam ea, quæ à laicis exercebantur, atque ab illis procul fuisse tricas, ambagesque forenses; verum hæc non pertinent ad intimam iudicii naturam, neque iis neglectis minus verum, minusque perfectum iudicium videri potest. In summa, iudicia ecclesiastica verè erant iudicia, quæ ex litigantium contentione, ex iudicis potestate, imperioque fiebant, ac iudex, audito actore, et reo; expensisque probationibus, absolutoriam, vel condemnatoriam sententiam proferebat, cui litigantes parere cogebantur. Jam pars illa, inquit S. Joannes Chrysostomus de Sacerd. lib. 5 c. 17 t. 1 opp. p. 599 ed. Par. 1718, *quam Episcopum tractare in iudiciis convenit, infinita certe odia, infinitas offensiones parit*. Hæc certe in iudicem odii, et offensionis causa, quem alium attingere potest, præter litigantem, qui condemnatus est, ac sententiæ parere invitus cogitur? Simile est, quod habet Concilium Tarraconense l. Can. 4 apud Labbæum t. 5 col. 698 ed. Ven. quo sancitum est, *ut nullus Episcoporum, aut Presbyterorum, vel Clericorum die dominico propositum cujuscumque causæ negotium audeat iudicare*. Ergo clerici exercent actus vere iudicarios, et contentiosæ jurisdictionis, qui die dominico fieri non possunt. Verum etiam, perfectumque iudicium ecclesiasticum memorat Sidonius Apollinaris l. 2 Ep. 12 col. 522, et l. 6 Ep. 2 et 4 ed. Sirmondi int. ejus opp. ed. Ven. 1728 col. 575 et 577. Synesius autem Ep. 105 p. 248 ed. Petav. 1635, Episcopum vult esse legum Doctorem, ut, quæ legibus consentanea sunt, loquatur. Sed videndus est in primis Ambrosius, qui graviter reprehendit Syagrium, Veronensem Episcopum, quod in iudicando non eam adhibuisset methodum, quam adhibere oportebat: Ep. 5 opp. t. 5 p. 479 ed. Maur. Ven. 1781; ex qua quidem epistola manifestum est, quæ solemnitate ab Episcopis iudicia agerentur, et quemadmodum in iis nihil omitteretur eorum, quæ ad verum, et perfectum iudicium requirebantur. Quin et Episcopos non solum iudicasse, sed et iudices suo arbitrio dedisse, testatur Socrates histor. lib. 7 c. 57 pag. 587 ed. Valesii Cantabrig. 1720, qui narrat, Silvanum, Troadis Episcopum, cum suos clericos, quos dirimendis controversiis dare iudices solebat, aliquod inde lucrum quærere animadverteret, laicos iudices elegisse, qui controversias illas desinirent. Hi laici, qui Episcopi jussu, et clericorum loco iudicabant, quam in iudicando methodum servare debebant? Adde ea, quæ in causa S. Athanasii à Liberio Pontifice dicta sunt adversus Constantium Imperatorem, qui sanctissimum illum virum vehementer condemnari cupiebat apud Constantium episc. Roman. Pontific. col. 455 seq. Ex quibus intelligitur, quam accurate, diligenterque ab Ecclesia iudicia agerentur, diu multumque audito reo, datis ei defensoribus, excussis omnibus probationibus, servatis denum omnibus, quibus opus erat, ut verum, perfectumque iudicium haberetur.

(4) Qui Ecclesiam vera, et propria iudicia exercuisse inficiantur, ii negant, habuisse territorium, et forum, in quo jus diceret: atque ajunt, Episcopale iudicium non verum, propriumque iudicium, sed *audientiam*, hoc est arbitrium appellari. In primis autem obtrudunt Novellam Valentiniani III. quæ est novel. 12 de episc. judic., et qua scriptum extat: *Quoniam constat, Episcopos forum legibus non habere, nec de aliis causis, quam de Religione posse cognoscere, ut Theodosianum corpus ostendit; auster eos iudices esse non patimur, nisi voluntas iurgantium sub vinculo compromissi procedat; quod si alleruter nolit, sive laicus, sive clericus sit,*

*agent publicis legibus, et jure communi*. At si territorii nomine intelligimus locum intra certum terminum positum, in quo magistratus jus dicit, et suam jurisdictionem exercet, quis neget, jam ab ipso initio Ecclesiam territorium habuisse? Cum divisæ sunt diœceses, cum instituta sunt jura metropolitana, quæ sane Titum, et Timotheum habuisse constat, cum item jura patriarchica, quorum initia aut ab Apostolis sunt repetenda, aut certe Nicæno Concilio antiquiora sunt, nonne Episcopis, Metropolitibus, Patriarchis datum est territorium, in quo jus dicerent, suamque potestatem exercerent? Concilio Nicæno can. 6 apud Labbæum t. 2 col. 55 ed. Ven. designata sunt certa loca, *quorum omnium Alexandrinus, et Antiochenus Episcopus habent potestatem*. An non his locis eorum Episcoporum territorium est? Postremo ipsum *territorii* vocabulum expresse memorat Zosimus P. ep. 5 apud Labbæum collect. concil. t. 5 col. 409 ed. Ven. *Omnes sane, inquit, admoneantur, ut quique finibus, territorisque suis contenti sint*. Quod si Episcopi habebant territorium, in quo imperabant, jus dicebant, pœnis coercerent, consequens est, ut etiam forum habere debuerint. Nam forus locus est, in quo inter litigantes jus dicitur. Neque refert, quod non hoc ipsum fori vocabulum occurrat; nam satis est, quod fuerit res ipsa, hoc est potestas, et locus reddendi juris, ut deesse non potuerit forus, quo tandem eunque vocabulo appelletur. Quid quod constitutiones Apost. l. 2 c. 47 apud Cotelerium PP. Apostolic. t. 1 p. 257 ed. Amstelædami 1724, expresse memorant *forum*? Quod vero *audientia* nomine interdum ecclesiastica iudicia nuncuparentur, id certe argumento esse non potest, quod vera iudicia non essent, sed potius arbitria haberentur, quæ sententia est Cujacii in Paratit. cod. de ep. aud. opp. t. 2 col. 50, Caroli Loysei des Seigneuries c. 15, Fevretii in libro de Abusu l. 4 c. 1, itemque Van-Espenii jur. eccles. par. 5 tit. 1 c. 5, Jacobi Gothofredi in extravag. de episcop. jud. cod. Theod. t. 6 p. 540 ed. Lipsiæ 1743, aliorumque, maxime protestantium. Principio; apud Jurisconsultos in juris civilis voluminibus *audire* causam idem significat, ac *rite cognoscere, et iudicare* litem l. 1. c. de lit. contest. l. 2 c. Si ex fals. instrum. velt. l. 6 §. super his c. de appellat., et *auditorium* sæpe pro tribunali, foroque iudicario usurpatur l. 54 ff. de re jud. l. 5 ff. de offic. Adsess. Deinde vero ad ecclesiastica officia designanda utrumque vocabulum, et *iudicii, et audientia* usurpatum constat; quod evidenter ostendit, veteres inter hæc duo vocabula nullum discrimen posuisse. Certe *iudicium* ecclesiasticum, non *audientiam* memorant S. Leo M. ep. 2 ad Rustic. Narbon. opp. t. 1 col. 1424 ed. Ballerin. 1755, S. Augustinus ad Bonifac. l. 5 c. 5 t. 10 col. 456 et serm. 351 n. 10 t. 5 col. 1559 ed. Ven. 1751, S. Ambrosius ep. 5 ad Syagri. episc. Veron. opp. t. 5 p. 479 ed. Maurin. Ven. 1781, Sozomenus hist. l. 1 c. 9 p. 24 ed. Valesii Cantabrig. 1720, Gratianus Imperator ep. ad Aquilin. apud Constantium ep. Roman. Pontific. col. 550, qui ecclesiastico iudicio vim tantam attribuit, ut ad Imperatorem appellare vetet eos, qui sunt *condemnati iudicio recte sentientium Sacerdotum*. Mitto loca alia sexcenta Patrum, et Conciliorum; ac mitto etiam titulum Codicis Theodosiani, qui est *de Episcopali iudicio*; quoniam de eo paulo post suus erit agendi locus. Deinde vero titulus ille codicis Justiniani *de Episcopali audientia* editus est, posteaquam multæ prodierant superiorum Imperatorum constitutiones, quibus iudicaria Ecclesiæ potestas confirmata fuerat, adjectis legibus, ut quod ab Episcopis iudicatum fuisset, ab omnibus ratum, firmumque haberetur. An iudicia tam solemnia, tam firma, quibus omnes parere coguntur, mera arbitria videri possunt? Extat ea de re Constantini Constitutio in extravag. de Episcop. jud. cod. Theodos. t. 6 p. 559, quæ sancitum est, ut *omnes causæ, quæ vel prætorio ju-*



re, vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec liceat ulterius retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit. Falsam hanc constitutionem putant Gothofredus, Fevretius, Loyseus l. c., sed eam late vindicant Altaserra de juris. eccl. l. 4 c. 7, Baronius ad an. 314 n. 58 t. 5 p. 572 ed. Lucæ, Sirmondus in append. cod. Theod. t. 7 p. 5 ed. Gothofredi Lipsæ 1745, Valesius in not. ad Euseb. de vit. Constant. l. 4 c. 27 p. 640 ed. Cantabrig., Seldenus de Synedr. l. 1 c. 10, Jo. Antonius Bianchi della potestà, è della Polizia della Chiesa t. 3 p. 704, Fr. Florens de jurisdict. eccl. t. 2 p. 55 ed. Norimb. 1756, Doujat, prænot. can. l. 2 c. 2; ac Joannes le Gendre *Episcopale judicium advers. calumn. Gothofredi acerrime vindicat*. Atque ad hanc quidem legem spectare videntur Eusebius de vit. Constant. l. 4 c. 27 p. 550 ed. Valesii Cantabrig. 1720, et Sozomenus l. 4 hist. c. 9 p. 21 ed. ejusdem, cum de Constantino scribit, quod *litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium provocarent, si magistratus civiles rejicere vellent; eorum autem sententia rata esset, aliorumque judicium sententiis prævaleret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset*. Patet ex hoc loco, Episcopos habuisse forum, et contentiosam jurisdictionem, secus enim, quomodo episcopale judicium, potius quam sæculare litigantes elegissent? Ac patet etiam, sententias Episcoporum exitum, et vim tantam habere debuisse, quantum habere maximam poterant, et ideo non arbitria fuisse, quæ forte despici potuissent. Eandem Constantini legem, cujus nunc facta mentio est, memorant etiam, atque confirmant capitularia Caroli M. l. 6 c. 566 t. 1 col. 658 ed. Baluzii Ven. 1772, ubi ea *sumpta dicitur ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro cap. 41*, qui locus nonnullos in eam opinionem adduxit, ut crederent, illam legem à Carolo M. non Constantino, sed Theodosio adscriptam fuisse. Sed falluntur egregie; quoniam, ut observat Baluzius in notis t. 2 col. 819, iis verbis Theodosianus Codex designatur. Cum Constantino consentiunt Arcadius, et Honorius, quorum est constitutio in l. 8 cod. de episc. audient., qua imperatores inquit: *Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à sacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhibendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferris necesse est potestatibus, à quibus non licet provocare*. Quis, nisi plumbeus in jurisprudentia sit, merum arbitrium dicat, episcopalem sententiam, cujus tanta vis est, ut ei cuncti parere debeant, atque ab ea ne provocare quidem liceat? Est etiam de Episcopali judicio lex Marciani Imperatoris, quæ est leg. 13 cod. de Episcop. audient., et ex qua similiter patet, Episcopos non meros fuisse arbitros, sed veri judicis partes egisse. Idem etiam ostendit lex Theodosii, et Valentiniani in l. 47 cod. Theod. de Episc., ex qua intelligitur, Episcopalem audientiam verum fuisse judicium, et ab eo tantum nomine discrepasse. Quod si episcopale judicium verum erat, propriumque judicium, profecto cum Tribonianus in titulo Codicis *audientie* vocabulo usus est, nullum inter audientiam, et judicium discrimen posuit: præsertim cum in ipso titulo *de Episcopali audientia* leges descripsit, in quibus judicii vocabulum usurpatur, quæque ad verum judicium pertinent. Cum autem tot præclara habeamus Episcopalis judicii monumenta, nulla prorsus habenda ratio est constitutionis, quam edidit Valentinianus III., ut Episcopis jus suum adimeret, quamque ejus successor Marc. abrogavit, uti ostendit Baronius ad an. 452 num. 52 t. 8 p. 154 ed. Lucæ.

(5) Conc. Antiochenum an. 341 can. 5 t. 2 col. 590 collect. Labbæi ed. Ven., Carthaginense III. can. 9 col. 1401 eod. t. 2, Chalcedonense can. 9 col. 1636 t. 4, Aurelianense IV. can. 20 col. 1567 t. 5, Matisconense I. can. 7

et 8 col. 659 et 660 t. 6, Toletanum III. can. 13 col. 700 cit. t. 6, Parisiense V. can. 3 col. 1539 eod. t. 6, Cabillonense I. can. 11 col. 598 t. 7.

(6) Id sane Nicæno Concilio statutum est can. 5, et à Sardicensi can. 5 t. 2 collect. Labbæi col. 55 et 659.

(7) Concilium Chalcedonense can. 9, Toletanum III. can. 13 l. c. Eodem se munere sæpe functum testatur Augustinus, qui illud ex Apostolico præcepto repetit, uti demonstratum supra est. Atque in ejus vita opp. August. t. 10 col. 270 c. 19, Possidius narrat, quæ ipse diligentia, ac pietate causas judicaret, idque, inquit Possidius, *secundum sententiam Apostoli, dicentis: Audet quisquam etc.* Idem quoque Ambrosium præstitisse, testatur ipse Augustinus Confess. l. 6 c. 3 t. 1 col. 121 cit. ed.

(N. S. Concilii nempe Tolet. III can. 15 vetantur Clerici conelericos suos, suo neglecto Pontifice, ad judicia publica pertrahere: dein subjungitur: *Si quis hoc facere præsumperit, et causam perdat, et à communiione efficiatur extraneus*).

23 Ipsi etiam Christiani Principes non solum sponte sua, sed etiam hortatu sanctissimorum Episcoporum, quibus certum, atque exploratum erat, clericos ad laicos judices non esse trahendos (1), æquissimas tulere leges (2), quibus cautum est, ut clerici suarum controversiarum judices non nisi ecclesiasticos haberent. Quin etiam dignitas Episcopatus, et præclara virtus illorum, qui eo fungebantur, diu fecit, ut Episcopi civilium quoque controversiarum, quæ inter laicos fervebant, judices constituerentur (3). Verum id fiebat consensu litigantium, qui coram Episcopo litigare malebant, quam coram sæculari magistratu, et concessu Principum, qui ab Episcopis, quorum sapientiam exploratam habebant, civium suorum causas judicari cupiebant.

(1) S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, ad Constant. August. l. 4 n. 4 opp. t. 2 col. 555 ed. Veron. 1750, *Provideat et decernat clementia tua*, Constantio imperatori inquit, *ut omnes se ubique judices, quibus provinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura, et sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa se abstineant; neque posthac præsumant, atque usurpent, et putent se causas cognoscere clericorum*. Extat autem in l. 12 cod. Theod. de Episc. et cleric. Constantii lex, qua cautum est, ut clericorum causæ non nisi ab Episcopis judicentur; atque hanc quidem legem Hilarii hortatu editam, putat Baronius ad an. 355 n. 82 p. 555 t. 4 ed. Lucæ. Eadem est Ambrosii sententia ep. 21 n. 2 t. 6 p. 52 opp. ed. Maur. Ven. 1781, qui laudat ea de re Valentiniani legem, qui *sacerdotes de sacerdotibus voluit judicare*; eademque etiam Martini Turonensis, uti testatur Severus hist. sac. l. 2. c. 50 t. 2 p. 263 ed. Veron. 1754. Abutuntur autem auctoritate Patrum quorundam ii, qui judicariam potestatem Ecclesiæ negant, eorumque sententias detorqueunt, præveque interpretantur. Nam locus Laetantii de divin. instit. l. 5 c. 20 t. 4 p. 412 ed. Paris. 1748, pertinet ad infideles, qui invitati ad fidem compelli non possunt; Chrysostomus de Sacerdot. l. 2 n. 3, opp. t. 1 p. 574 ed. Montfaucon. Paris, non



negat imperium, et potestatem Ecclesiæ, quam imò certam habet, cum illud Apostoli ad Timot. 4 præcipe, ac dõce ita explicat homil. 13 n. 1 p. 617 t. 11 *vides ut imperare sacerdotem necesse sit*; tantum dicit Ecclesiam non habere potestatem arcendi homines à delictis, et si haberet, eam inutilem futuram, *cum Deus noster non necessitate submotus à peccato, sed propria sese sponte abstinens sit remuneraturus*. Hieronymus in can. 25 caus. 25 q. 5, inquit, quod *regum proprium officium est facere iudicium et justitiam*, non id dicit quasi id tantum ad reges, non etiam ad Ecclesiam pertinere statuat; imò in Jerem. 1. 4 c. 22 opp. t. 4 col. 987 ed. Vallarsii Veron. quidquid regibus in Scriptura; id et Sacerdotibus datum ostendit. Denique Bernardus de consider. ad Eugen. 1. 4 c. 6 col. 417 ed. Paris. Mabillon., inquit: *stetisse denique lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego*; non ut iudiciariam Ecclesiæ potestatem adimat; sed ut reprehendat eos, qui neglectis illis, quæ potiora sunt, iudicandi studio rapiuntur. Atque ad hæc fere revocari omnia possunt patrum loca, quæ contra iudiciariam Ecclesiæ potestatem opponuntur.

(2) Confer ea, quæ paulo ante diximus de legibus à Constantino, Theodosio, et Arcadio, ac Marciano latis. His vero adde leges Constantii ac Theodosii, quæ sunt l. 42 et l. 47 cod. Theod. de episc. et cleric.; tum Justiniani Novellam 76, quæ ad monachos pertinet, qui tantum Episcopali iudicio subduntur, præterea leges, quas à Theodorico, licet Gottho, et Ariano, editas memorat Cassiodorus Var. l. 4 ep. 9 p. 7 t. 4 ed. Rotomag. 1679. Quod si aliquando clericos ad laicos magistratus ivisse, memoria proditum est, id quidem aut per vim, et injuriam factum est, aut factum à clericis audacibus, et protervis, qui se despiciere impune putabant posse ecclesiastici iudicis imperium, aut interdum etiam ab ipsis Ecclesiæ magistratibus, ut civilis quoque magistratus imperio homines in officio continerentur, eorumque sententiæ exitum haberent faciliorem. Atque huc referenda sunt exempla universa, quæ de hoc rerum genere ex ecclesiastica historia desumi possunt.

(3) Huc spectat lex Constantini, cujus feci paulo ante mentionem, quæ extat in codice Theodosiano de Episcop. iudic. præterea l. 8 et 9 cod. de Episcop. audien. Repete etiam ea, quæ paulo ante de Augustino, deque Ambrosio dicta sunt.

(N. S. Ad Hispaniam quod spectat, Episcopi, qui sub Evangelicis regulis, de profanis laicorum causis uti arbitratores dijudicabant, potiori jure de Clericorum etiam dijudicasse credendum est. Et sane nihil aliud ex Syn. Illiberit. can. 53, Tolet. I can. 19, Tarrac. can. 5, Herd. can. 11 colligitur, quam quod Ecclesiasticarum personarum dissidia, et delicta Episcoporum iudicio examinata fuerint, et terminata. Neque in florentissimis Gotthorum sæculis VI et VII, quibus nedum Catholicis, sed et addictissimis quoque sese Ecclesiæ professi sunt Reges, imminuta est hujusmodi potestas. Coram ipsis Supremis Regni Moderatoribus constituti sunt tot illi Canones, quibus Clericorum causæ ad Episcoporum Concilium adduci decernuntur: scilicet can. 13 Synod. Tolet. III. can. 35, alias 32 Tolet. IV, post *Caput. 10* Braear. II, can. 4 Tolet. XVII. Quin et in Syn. Hispal. II can. 9 sancitum, ut Ecclesiæ (Economus ex Ecclesiastico ordine eligatur, hac adducta ratione, ne laicus in Ecclesia iudicaret. Quocirca Fulgentium Astigitanum inter, et Honorium Cordubensem suscitata lis in Synod. Hispal. II discussa, et finita est can. 2. Potamius Braear., ob lapsum carnis, depositionis pœna dignus habitus est in Syn. Tolet. X, et in eadem Martini Braear. et Recimiri Dumiensis testamenta perscrutata sunt. Postremo execranda Sisberti Toletani conjuratio discussa est in Synod. Toletana XVI, et in eum perpetuæ depositionis pœna

contorta est. Eadem quoque Clericorum immunitas viguisse videtur in Hispania restorationis epocha; uti evincitur ex Syn. Legion. an. 1020 can. 6, et Compost. an. 1114 cap. 15. Nunquam tamen Clericis, si forte à iudicibus Ecclesiasticis prægravati forent, supremum Regis patrocinium denegabatur: Syn. Tolet. XIII can. 12.

Nemo unus tamen sibi inde persuasum habeat, Clericos ita Episcopali iudicio addictos esse, ut nunquam eis coram iudice laico stare licuisset. Porro quum tam multi sint Canones, qui eos Episcopo dijudicandos subijciant, nulla vero sanctio sæculare iudicium ab ipsis omnino effugiendum esse constituit, si vel à laico ad Regium Tribunal compelleretur, vel ad se venire ab ipso iudice compulsus esset Clericus, præsertim ubi de causis mere profanis ageretur, in quibus Clericis ex Principum Gotthorum Legibus iudicandi erant: leg. 2 tit. 1 lib. 2 *Fori Judic.*

Profecto nulla habemus vetusta hujus doctrinæ exempla; verum lis inter Abbatem Monasterii Cardinensis, et quosdam Burgis convicinos populos, de aquarum usu pro molendinis suscitata, à tribus sæcularibus iudicibus examinata est, et Gotthis legibus terminata an. 952, Castellæ Optimates sententiam juxta Gotthorum quoque leges tulerunt in causa, quæ de jure pascuorum inter Abbatem etiam Cardinensem, et Viros nobiles Vallis de Orbaneja exarserat an. 1075. Inter ejusdem etiam Monasterii Abbatem, et oppida Penna-fidelem, et Castrillum lis mota est de bonis à Comite Castellæ Ecclesiæ donatis, quam Comes Gomezus ex Regio mandato terminavit an. 1175. Vide sis Cl. Vir. D. Petrum Cantos Bentez in Præf. ad *Scrut. Monet. à §. 46.*

Atque id eo nobis verosimilius adparet, quod Ferdinandus, et Constantia simul, et Infans Leonor constituerant, ut duo instituerentur Iudices Ecclesiasticis causis iudicandis: Sandoval in vita Alphonsi Imper. cap. 65. Verum sæculo XIII, sicut penitus immutata est iudiciorum forma, ita Clerici à laico Tribunali segregati sunt, exceptis causis feudalibus, aliisque).

24. Nam Ecclesiæ potestas, atque iudicium tantum pertinet ad res sacras, ac divinas, atque ad personas clericorum, qui non nisi Ecclesiæ imperio subijciuntur. In controversiis laicorum mere civilibus, atque profanis nullæ sunt Ecclesiæ partes, sed eæ tantum spectant ad iudicium, potestatemque laici Magistratus, cujus imperio illi, tamquam reipublicæ cives, subesse debent. Quare Ecclesia, cui nulla in his rebus iudicatio est, eam exercere non potest, nisi acquirat consensu litigantium, et auctoritate Principis, qui civili reipublicæ imperat.

25. Atque intra hos quidem fines, et leges utraque reipublica suam semper exercuit potestatem, ecclesiastica in rebus sacris, et divinis, negotiisque clericorum, civilis in omnibus laicorum controversiis, quæ spiritualia non attingunt. Initio Ecclesiæ iudicia minoribus solemnitatibus acta fuisse videntur, ut celerius expeditentur. Hinc sæpe *ecclesiasticum* iudicium *forensi* opponitur (1), quoniam ab illo procul aberant tri-cæ, et ambages, quæ forenses concertationes implicabant. Satis erat esse actorem, qui petitionem proponeret, reum,



qui excluderet, iudicem, qui rem nosceret, et sententiam ferret, ut omnis rei ratio conclusa haberetur. Non deerat quidem, quæ ex jure naturæ procedit, citatio rei, non deerant legitimi probationum exquirendarum modi, neque cetera opportuna remedia; sed iudicium sine tot solemnitatibus, quas civiles leges invexerant, celeriter expediebatur.

(1) Ecclesiasticum iudicium à forensi distinguunt S. Augustinus ad Bonifac. l. 5 c. 5 opp. t. 40 col. 456 ed. Ven. cit.; S. Leo M. ep. 2 ad Rustic. Narbonen. Inquis. X. col. 1424 t. 1 ed. Ballerin. 1755 aliique complures. Sed hi omnes distinctionem hanc inter utrumque iudicium adhibent, non quod ecclesiasticum verum non esset iudicium; sed quod celerius, quam forense expediebatur, neque in eo tricæ, ambagesque forenses obtinebant.

26 Denique aucto litium numero, commodius visum est in iudiciis ecclesiasticis certum ordinem, formamque constituere, atque in iis quasdam adhibere solemnitates, quæ partim à Jure civili desumptæ, partim ab Ecclesiasticis primum legibus constitutæ sunt. In primis autem Romani Pontifices ea de re laborarunt, proposita iudiciorum methodo, quæ neque importuna brevitate officeret veritati, neque copia multiplici, et operosa solemnitatum, ac formularum litigantes irretiret. Quam hæc methodus apta, et concinna sit, et quantum ei præstet, quæ à Jure civili procedit, omnes facile intellexerunt; ideoque illa summo omnium consensu etiam in foro civili ubique recepta est.

{ N. S. Jam vero antiqua in iudiciis Ecclesiasticis peragendis disciplina hæc fuit. Episcopus medius inter Presbyteros consedit, veluti magistratus inter adssores: stabant Diaconi tanquam adparitores, et ministri justitiæ. Ii, inter quos lis intercedebat, vel qui de aliquo crimine accusati fuerant, coram aderant, suas causas acturi. Iudicium erat summarium, procul ambagibus forensibus. Porro Episcopi partes erant, non modo quod justum, rectumque ipsi videretur, decernere, verum et partibus persuadere, similitatem, et iram abstergere, avaritiamque, et nimiam ad terrena bona propensionem corrigere. Qua de re Episcopus jubebatur suum tribunal, sive *audientiam* diebus Lunæ habere, ut partibus integra superesset hebdomada, qua conciliari possent, omnemque, si quem contraxissent, livorem deponere: et sic die Dominica, juxta Apostoli monitum I ad Timoth. II v. 8, *puras manus sine ira, et disceptatione* levarent. Auctor Constit. lib. 2 cap. 47.

Hæc iudicia exercendi methodus obtinuit in Ecclesia ad medium usque sæculum XII, uti ex Gratiano *Caus. 15 Q. 7* colligere datur. Si quæ graviora incidissent negotia, quibus definiendis civile presbyterium, sive Urbis Episcopalis Presbyteri satis non esse viderentur, Synodus Diœcesana, ad quam omnes totius diœceseos Presbyteri, vel etiam Provincialis, ad quam omnes totius Provinciæ Episcopi conveniebant, indicebatur.

Iudiciorum forma, quæ in Hispania quondam Ecclesia viguit, à tricis quo-

que, ac recentis ævi circumlocutionibus immunis erat. Diaconus causam proponebat examinandam: Syn. Tolet. IV can. 4; cui si locus daretur discutientiæ, ingressi adstabant Petitor, et Reus, simul duo, aut tres, qui necessario ad iudicium testes requirebantur ex Syn. Brac. II, can. 8. Proposita causa, ac concessa Petitori intentionem verbis, vel productis tabulis probandi, ac Reo respondendi facultate, Canonum, et Legum Codices in medio proferebantur, ex quibus, quæ de re tunc disceptata constituta essent, legebantur: Syn. Hispal. II can. 2. Non diu de partium jure secundum propositos Canones, aut Leges agebatur: Syn. Tolet. XIII can. 2; ac demum ex omnium vel potioris partis consedentium suffragiis, nisi aperte ex Canonibus, et Legibus prælectis justitia patefieret, sententia ferebatur: Syn. Hispal. II can. 2. Pro lata sententia, et Diaconi manu exarata, parti, cui adsertum jus fuerat, tradebatur. Si quæ tamen in bonis, vel personis peragenda esset coactio, non Episcopi, non Presbyteri opera, non alicujus Ecclesiasticæ personæ manu, sed *Regii exsecutoris instantia* perficienda erat: Syn. Tolet. IV can. 5. Neque iudicia hæc sine coacto ab Episcopo Presbyterorum collegio agebantur, de quo innumera exstant in nostris Conciliis argumenta, ab Illiberit. can. 55, ab Tolet. XVII can. 5, et Compostel. an. 1114 cap. 14. Adde S. Isidor. lib. 48 *Origin.*, cap. 15. Si quis se ab Episcopi sententia gravatum existimaret, ad Metropolitæ, ab hoc ad alterius Metropolitæ Concilium provocatio licebat; ac tandem ad Supremum Regis Tribunal: Syn. Tolet. XIII can. 12.

Nullus tunc erat iudiciis habendis statutus dies; sed omnibus hebdomadæ diebus, Dominicis exceptis, Ecclesiastica prostabant tribunalia: Syn. Tarrac. can. 4.

Porro sæculo XII exeunte, et XIII incunte Ecclesiastica iudicandi forma sensim, et sine sensu in eam immutata est, quæ modo obtinent ex jure novo, et novissimo. Hanc mutationem duabus ex causis repetit Petrus de Marca *Cone. Sac. et Imp.* lib. 5 cap. 6. Prima est, quod potestas, quam in plerisque causis iudicandis Synodi provinciales obtinebant, ad unum R. Pontificem fuerit advocata: inde enim factum est, ut in Ecclesia novus Iudiciorum ordo institueretur, ad causarum cognitiones in provinciis per Rescripta dirigendas. Unde tot, ac tantæ emanarunt Constitutiones *de Rescriptis, de Iudiciis Delegatis, de Officio Iudicis Ordinarii, de Dilationibus, de Exceptionibus* etc. Hæc omnia olim, uti modo observabimus, non adeo exacte, et sollempniter exercebantur, uti recentiores Rom. Pontificum Decretales præscribunt.

Altera mutationis causa, quam adfert Petrus de Marca est, quod multis ex rationibus, nova pluribus in capitibus Ecclesiasticæ politiæ facies oborta est. Hæc faciunt Beneficiorum ab Ordinationibus separatio, aliqua impedimenta matrimonii ad publicam tuendam honestatem noviter constituta, temperatus publicæ penitentiae rigor, multiplices Monachorum Congregationes late per Europam diffusæ, indultæ Monasteriis, Capitulisque Canonicorum ab Episcopali jurisdictione exemptiones etc. Hinc novum quoque in Ecclesia iudiciorum ordinem institui oportuit.

Præterea, quum Canonum Collectores Ivo, Gratianus, aliique, qui post X sæculum Canones Ecclesiasticos collegere, multa ex jure civili excerpta induxissent, atque adeo ejusdem juris civilis studium, ope præsertim Clericorum (qui supra omnes, utpote qui soli tunc temporis pro litteratis haberentur, eidem sedulam operam navarent) refluisset; factum hinc est, ut Jus Canonicum pluribus in Capitibus Juris Civilis rationem sequi incœperit).